


SPECTATORI
 ET
 LECTORI
 JACOBUS GRONOVIVS
 S. P.



uum adeo sancta, innoxia, etiam immo amœna mihi ac venerabilis nuper exorta fuerit causa & materia conciliandæ notitiæ, teneri nequeo, quin ejus testem te ac conscium faciam; maxime quum relatio ista simul te sit edoctura editionis hujus occasionem & incrementa. Nuper enim factum est, ut Abrahamus Bloetelingius in cælatoriæ peritiâ præcellens & ob eximiam artis ejus dexteritatem celebratissimæ jam famæ, non antea mihi visus, exposuerit animi sui mentem ad beandum nostrum orbem, dicam? an instaurandum seculum quæsitissimo hoc vel manus suæ specimine vel lætissimo melioris antiquitatis spicilegio vel etiam opportunissimo ad cognoscendos firmiter & auctores & ipsos veterum sensus emolumento. Quocunque enim vel oculo adspicias vel animo consideres,
 * 4 du-